

quando justitia commutativa reddit aliquid inæquale et minus pro debito, hoc solum est per accidens, ex impotentia debitoris et defectu materiæ, non ex diversitate rationis formalis, seu inclinationis ex parte ipsius virtutis, sicut contingit quando debitum est per se superius et inadæquabile, sicut est debitum divinum: hac enim ratione cogimur ponere aliquas virtutes præter justitiam, ad reddendum debitum inæquabile, ut pietas pro parentibus, observantia pro superioribus, religio pro Deo. Et cum dicitur, quod hæc differentia solum est ex parte personæ, seu objecti cui, non ex parte rationis specificæ, negamus hoc, quia refunditur diversitas objecti cui, in objectum specificum, quatenus ex ordine ad talem personam ita superiorem nascitur diversum debitum et diversum jus: sicut aliud est jus superioris in inferiores, aliud jus unius particularis in alium; jus enim superioris per se ex natura sua adæquari non potest ab inferiori; jus autem particulare adæquari potest, licet aliquando per accidens, et in ipso facto non adæquetur: jus autem est objectum justitiæ: unde ex diversitate juris nascitur diversa ratio specifica justitiæ ex parte objecti.

XXVI. Quod si dicatur: Jus læsum, quantumcumque sit superius et divinum, semper inducere debitum justitiæ commutativæ, quia licet Deus sit excellentior omni creatura, nec debitum illius possit adæquari, tamen habet strictum et proprium jus ne lædatur a creatura: ergo læsio illius speciale debitum fundat strictæ et rigorosæ justitiæ, ut resarciatur: quod si non sit, hoc erit ex impossibilitate materiæ, quia non habemus quod reddamus, non ex inæqualitate juris stricti et rigorosi.

XXVII. Respondetur, ex parte Dei fundari strictum et proprium jus ne

lædatur, multo magis quam quilibet homo respectu alterius, quantum ad proprietatem juris et dominii quod Deus possidet ne lædatur; cæterum propter eminentiam suam non patitur fundari ex parte creaturæ reciprocum jus reddendi æquale, propter inferioritatem personæ, et honorum quæ possidet, quæ respectu Dei nihil sunt; et sic non solum ex defectu materiæ, sed per se ex defectu juris fundati in inferioritate personæ et honorum, non potest reddi æquale, nec ad id dari inclinatio et virtus aliqua in homine.

XXVIII. Dices: Per pœnam potest reddi æquale culpæ, ut cum judex ponit reum juxta qualitatem delicti; ergo homo per pœnam potest reddere æquale ipsi culpæ, verbi gratia, supplicium æternum quod meruit.

XXIX. Respondetur, quod in delicto seu culpa sunt duo: alterum ex parte ipsius peccatoris, quatenus peccatum infert damnum ipsi peccanti amittendo gratiam, et recedendo a Deo; alterum ex parte ipsius Dei, quatenus est illius offensivum per modum injuriæ; et quantum ad primum potest culpa adæquari per pœnam, quatenus peccatum damnificativum est et tollit gratiam; secundum vero non potest ad æqualitatem recompensari, quamdiu persona offendens inferior est ipsi offenso, sed solum potest per humiliationem et contractionem cordis (quæ est contritio) disponere ut Deus misericorditer dimittat peccatum. Unde neque Deus, neque judex quamdiu puniunt ad æqualitatem delicta, puniunt in illis nisi id quod damnificativum est, non præcise quod est offensivum personæ, si sit persona superior; hæc enim injuria per exhibitionem honoris, non per pœnam recompensatur.

XXX. Ad tertium nego antecedens. Ad primam probationem respondetur, sub alia ratione reddi honorem et cultum Deo per religionem, et per pœnitentiam, quia ut docet S. Thomas in IV, dist. XIV, quæst. I, art. I, quæstiuncula V religio respicit honorem debitum Deo, qui debetur ei quatenus aliquid ab illo recipimus; pœnitentia autem ex eo quod ei detrahimus, eumque offendimus; unde oportet quod iste honor et cultus recompensativus sit major, vel alterius rationis a primo, qui solum est honorativus, quia plus debet qui offendit, quam qui solum beneficium accepit: unde restitutio honoris divini debet fieri per dolorem cordis, et pœnalitatem operis; cultus vero per religionem exhibitus fit per laudes et devotionem et gratiarum actionem, aliasque similes actiones, quæ magis ad gaudium et solemnitatem pertinent: itaque conveniunt tam religio quam pœnitentia in reddendo honore et cultu ipsi Deo, quasi in quodam prædicato generico; differunt vero in diversa ratione formali hujus cultus, et diversa ratione debiti, quia pœnitentia per modum vindictæ et satisfactionis pro malo commisso; religio autem non procedit vindicando, nec respiciendo malum, sed tantum redditionem boni pro beneficiis a Deo acceptis. Sicut etiam distinguitur religio a dono timoris, quia licet timor respiciat reverentiam Dei (quæ etiam videtur pertinere ad honorem et cultum) tamen timor respicit Deum refugiendo quasi potentem infligere malum; religio autem accedendo, quasi ad potentem benefacere, tamquam ad creatorem: et sic distinguitur timor a religione.

XXXI. Ad secundam probationem respondetur, quod expiatio peccatorum fit cæremoniis vel sacrificiis, quantum ad rationem sacramenti,

vel quantum ad satisfactionem pœnæ, quæ fit per sacrificia, sicut etiam per alias res pœnales, ut orationem, jejunium, etc. non tamen actus virtutis pœnitentiæ formaliter consistit in illis cæremoniis aut sacrificiis: licet quando illa fiunt, etiam concurrat actus religionis ad illa facienda: imperatur tamen a pœnitentia, quæ dirigit illas cæremonias ad expiationem peccatorum.

XXXII. Ad tertiam probationem respondetur, quod omnia illa quæ pertinent ad honorem et cultum Dei ut benefactoris, fundant eandem rationem debiti pertinentis ad religionem, ut est gratitudo pro beneficiis acceptis, oratio, devotio, etc. quæ vero fundant debitum respectu Dei ut offensi, vel potentis infligere malum, fundant aliam rationem debiti, scilicet timoris, vel pœnitentiæ, eo quod Deus ut potens infligere malum attingitur a timore, non per accessum et cultum, sed per reverentiam et resilientiam in propriam parvitatem; Deus autem offensus attingitur ut placabilis per dolorem cordis, et vindicationem peccati; et sic diversum jus attenditur in Deo offenso, quam in Deo benefactore.

XXXIII. Et ad exemplum de justitia, quæ unica sufficit ad recompensandum offensas, et ad commutandum pro debitis voluntariis ad conservationem juris, et ad reparationem læsi, respondetur sufficere unam justitiam, ubi est unicum jus et debitum, scilicet, quando ad æqualitatem potest reddi utrumque: tunc enim ipsum jus æqualitatis pariformiter currit in redditione pro offensa et pro commutatione, cum tantum respiciat æqualitatem rei ad rem, cui per accidens est, et materiale quod illa res adæquanda sit recompensatio offensæ, vel redditi commutationis; at vero quan-

do jus seu debitum non est primo et per se inter rem et rem, sed nascitur ex persona, et inæqualitas personæ non potest fundare æqualitatem recompensæ, tunc non est idem jus, neque idem modus debiti in offensis recompensandis, et in aliis redditionibus exhibendis: nam in benefaciendo creaturis fundatur jus recognitionis ad Deum tamquam ad supremum Dominum, quod est jus dominativum in subditos, a quibus tamen non potest adæquari, quia supremus Dominus est; at vero quando Deo fit injuria, et læditur jus quod habet, ut sit finis ultimus nostrarum actionum, non solum attenditur jus dominativum, sed jus proprietatis et possessionis, quia Deus in omni proprietate et rigore possidet honorem suum, non minus quam homines honorem quem habent, licet propter suam eminentiam honor divinus non possit ad æqualitatem recompensari: sicut ergo quando læditur honor alicujus, non agitur contra illum jure dominativo, tamquam superioris in subditum, sed jure proprietatis læso, quod de se petit strictam recompensationem; ita quando læditur honor divinus, non agitur contra creaturam solum jure dominativo, sed jure proprietatis læso: et ideo de se postulat, ut per justitiam commutativam ei recompensetur, quod in homine puro est impossibile, sed solum in Christo, qui habet personam æqualem personæ offensæ: pertinet tamen ad imperfectam justitiam (quæ est poenitentia) conari ad satisfactionem, saltem petendo veniam: et talis justitia non respicit solum jus dominativum, quod respicit religio, sed jus proprietatis læsum, quia Deo anteposuit creaturam per peccatum, quod tamen perfecte non potest resarciri.

XXXIV. Ex dictis colligitur, di-

verso modo operari poenitentiam ad remotionem et destructionem peccati, quam reliquæ virtutes, et gratia ipsa, nam in peccato plures respectus considerari possunt, et secundum illos diversimode a diversis virtutibus respicitur et tollitur. Et pro præsentī consideratione possumus distinguere tres respectus, nam primo habet peccatum determinatam speciem contrariam determinatæ virtuti, ut peccatum injustitiæ opponitur justitiæ, intemperantia temperantiæ, etc. secundo, causat in anima maculam tollentem lucem rectitudinis gratiæ in anima, et per consequens potentias ipsas deordinans a recta subjectione ad rationem: et tertio facit injuriam Deo, quatenus ipsum non habet, neque æstimat tamquam finem ultimum. Et quantum ad primum tollitur peccatum per oppositam virtutem; sicut per temperantiam intemperantia; per justitiam injustitia: secundum tollitur per gratiam justificantem et rectificantem animam: tertium tollitur per remissionem et condonationem Dei, qui sua misericordia et intuitu sanguinis Christi reconciliat homines; et ad hoc disponit et operatur poenitentia, quatenus cum contritione et dolore cordis, atque spe veniæ accedit ad Deum, et ei submittitur pro condonatione obtinenda, quia non potest aliam recompensationem purus homo exhibere Deo, nisi humiliare se detestando peccatum ad obtinendam remissionem. Quare licet peccatum tollatur per gratiam quantum ad maculam, et per condonationem quantum ad remissionem offensæ (quæ condonatio in ipsa gratiæ infusione et largitione involvitur) et per virtutem oppositam, quantum ad speciem vitii et peccati oppositi, tamen adhuc est locus poenitiæ ut operetur ad destructionem peccati per modum

recompensationis et expiationis, quatenus per dolorem cordis disponitur ad impetrandam istam gratiam. Et ita concursus et influentia unius virtutis vel gratiæ ad removendum peccatum et vitium oppositum, non tollit concursum poenitiæ, sed quodlibet istorum concurrat in diversa linea et ordine, et sub diverso respectu; sicque præter omnes virtutes, quæ opposita sibi vitia formaliter expellunt, necessaria fuit alia specialis virtus (nempe poenitentia) quæ operatur ad tollendum peccatum in quantum injuria, offerendo Deo recompensationem et satisfactionem, saltem imperfectam, quia disponatur homo ad obtinendam remissionem plenam a Deo.

QUOMODO POENITENTIA SIT SPECIES JUSTITIÆ.

XXXV. Dico tertio: Poenitentia est species justitiæ, et continetur sub justitia commutativa, non tamquam perfecta species ejus, sed imperfecta, et reductive ad illam pertinens. Quod sit species justitiæ docet S. Thomas in articulo tertio hujus quæstionis, quia poenitentia non solum est cessatio ab offensa, et resipiscentia quædam, ut volunt hæretici hujus temporis, sed est emendatio et vindicatio peccati commissi, offerendo Deo satisfactionem, quam potest; tum pro culpa, petendo veniam; tum pro pœna, tolerando afflictionem: ergo habet veram rationem justitiæ, quia est ad alterum cum quadam commutatione et vindicatione. Quod vero contineatur sub justitia commutativa, docet ibidem S. Thomas ad tertium, quia fit secundum commutationem quamdam; ut scilicet pro offensa fiat voluntaria emendatio, ratione cujus Deus remittit offensam, faciendo ta-

men gratiam et favorem, quia illa emendatio et recompensatio est imperfecta. Ex quo deducimus, quod poenitentia (ut supra dicebamus) non respicit præcise in Deo jus dominativum, sicut religio, sed jus proprietatis læsum; ideoque recompensatio talis injuriæ fieri debet secundum modum justitiæ commutativæ; perfectæ quidem in Christo, imperfectæ autem in nobis per poenitentiam, quæ reductive est justitia commutativa, quia non est species ejus perfecta, sed imperfecta.

XXXVI. Et hoc dicimus in tertiâ parte conclusionis, videlicet, quod est species imperfecta, et reductive pertinens ad justitiam commutativam, quod affirmat sanctus doctor articulo tertio citato in corpore, ubi inquit: «Quod justum quod invenitur in poenitentia, est secundum quid, quia non facit aequale simpliciter, sicut justum politicum, seu civile, quod dicitur inter æquales; sed reddit quod potest (scilicet humiliatorem et emendationem) et quasi justum; sicut inter superiorem et inferiorem.» Justitia enim simpliciter dicta requirit duas condiciones, scilicet, quod jus seu debitum quod reddit, sit rigore et proprie debitum, et quod illud cum æqualitate recompenset; unde virtutes quæ sunt ad alterum, si non servant utramque conditionem, dicuntur deficere a justitia perfecta simpliciter, et sunt partes potentiales justitiæ. Poenitentia autem non differt a ratione debiti proprii et rigorosi, quin potius propriissime illum supponit, quia injuria facta Deo violat maximum et justissimum jus, quod Deus habet ut non offendatur, sed summo modo honoretur; deficit autem a ratione æqualis, quia non potest purus homo reddere ad æqualitatem Deo id quod debet, cum jus læsum sit infinitum (id est, contra personam infinitam) hu-

miliatio autem quæ fit per poenitentiam sit humiliatio personæ finitæ, de quo tractari solet in parte, quæst. I, art. II.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XXXVII. Objicies contra hanc conclusionem, ex duplici capite. Primo, ex uno extremo, ad probandum poenitentiam reddere æquale, saltem ex parte rei exhibitæ, licet aliunde non perveniat ad rigorosam justitiam, quia totum hoc habet homo ex bonis creditoris (scilicet a Deo) et sic non satisfacit ex propriis: secundo ex alio extremo, ad probandum poenitentiam nullo modo esse satisfactivam, et sic non esse speciem seu partem justitiæ. Et ex primo capite objicitur sic: Quia per poenitentiam elicitur actus contrarius, qui est dolor formatus charitate; iste autem actus tantum bonum reddit Deo, quantum mali intulit peccatum: ergo satisfacit ad æqualitatem, quantum est ex parte rei exhibitæ. Major supponitur ut certa, minor probatur. Totum malum quod intulit peccatum fuit aversio a Deo fine ultimo, et conversio ad creaturam, unde secuta est offensa Dei; sed contritio convertit a creatura ad Deum ut finem ultimum, amando ipsum super omnia, et dolendo de ejus offensa super omnia, ex quo sequitur summus honor Dei, si quidem respicit ipsum tamquam summum principium, cui per totalem et summam servitutum humiliatur homo: ergo reddit tantum, quantum abstulit. Nec sufficit dicere, quod totum hoc quod homo reddit Deo, est alias debitum, etiamsi non peccasset, unde non potest per talem exhibitionem recompensare obligationem ortam ex peccato, nam contra est, quia licet ante peccatum sit debita Deo humi-

liatio hominis, et amor Dei super omnia, tamen dolor ille ut contritio de offensa Dei, non est debitus ante peccatum, quia non tenetur aliquis conteri nisi peccet: ergo poenitentia aliquid reddit, quod ante peccatum non debebatur: et hoc est aliquid supernaturale, et tantum bonum, quantum abstulit.

XXXVIII. Confirmatur, quia Christus Dominus reddit Deo æqualem satisfactionem pro peccato a justitia commutativa elicita (ut nos admittimus) et tamen non aliter reddit hanc recompensationem, quam merendo nobis gratiam et auxilium, quo actum charitatis et contritionis eliciamus, ut intrinsece justificemur a peccato; posita enim gratia, sine ullo novo favore tollitur offensa: ergo signum est quod ipsa gratia et actus contritionis de se reddunt æquivalens pro peccato, quia intrinsece illud emendant, licet quia poenitentia non meretur ipsam gratiam et auxilia, sed supponit esse donata a Deo, non fiat justitia rigorosa; Christus autem, quia non supponit ista auxilia in nobis, sed meretur ea, dicitur satisfacere ex perfecta et rigorosa justitia.

XXXIX. Secundo, arguitur ex alio extremo, ad probandum quod poenitentia nullo modo sit satisfactio pro peccatis, etiam imperfectæ: Nam ipsa justificationis gratia, quæ sanctificat impium, datur omnino gratis: ergo non supponit aliquam satisfactionem: sed contritio antecedit ipsam gratiam justificantem, cum sit dispositio ad illam: ergo talis contritio non potest esse satisfactio pro offensa Dei. Primum antecedens est certum, quia ipsa sanctificatio et infusio gratiæ est beneficium omnino indebitum peccatori, si quidem usque ad illud instans homo est peccator, et offensus Deo: ergo quæcumque gratia est

illi indebita, quantumcumque per bona opera se disponat, quia omnes illæ dispositiones usque ad illud instans justificationis compatiuntur cum peccato: ergo gratia quæ datur in illo instanti, datur peccatori, quia justificat ipsum a peccato: ergo datur omnino gratis, sicut dicitur Rom. III: *Justificatis gratis per gratiam ipsius*. Consequentia vero probatur, quia si præcedit aliqua satisfactio, non omnino gratis remittitur offensa: opponuntur enim dari omnino gratis, et dari ex satisfactione, si quidem satisfactio ex natura sua aliquid debitum extinguit, alias non esset satisfactio: ergo si est satisfactio imperfecta, saltem aliquale et imperfectum debitum extinguit: ergo non datur omnino gratis.

XL. Nec dici potest, quod datur omnino gratis respectu meriti, non respectu satisfactionis: meritum enim supponit gratiam in subjecto, quæ est principium merendi, dans valorem ipsi actui; satisfactio autem non supponit gratiam in subjecto, quia non fit in bonum ipsius satisfaciens, sed in bonum offensi; et sic non præsupponit ex suo conceptu dignitatem in satisfaciens, sicut meritum supponit in merente, quia non ordinatur ad hoc, ut ipsi satisfaciens aliquid reddatur, sed offenso. Contra enim est, quia satisfaciens licet non recipiat, in quantum satisfaciens est, sed offensus sit, qui recipit ab illo, tamen facta satisfactione fit sibi remissio offensæ, et extinguitur debitum, saltem imperfecte: ergo ex vi satisfactionis non fit remissio culpæ omnino gratis, sed dignus est satisfaciens ut sibi remittatur offensa, et ad hoc tendit essentialiter satisfactio, ut fiat sibi remissio culpæ: ergo licet non mereatur gratiam, tamen dignus est remissione culpæ. Et confirmatur, quia poeni-

tentia est pars justitiæ erga Deum: ergo aliquid debitum inducit Deo ad remissionem culpæ: ergo Deus non illam omnino gratis remittit supposita poenitentia.

XLI. Ad primum argumentum negatur minor: Ad probationem distinguitur major: totum malum quod intulit peccatum fuit aversio a Deo fine ultimo, distingo; totum malum fuit aversio, ut offensiva Dei et damnificativa peccatoris, concedo; ut solum damnificativa peccatoris, nego. Utrumque enim facit peccatum, et damnificat peccantem, destruendo rectitudinem et gratiam; et offendit Deum, non habendo ipsum pro fine ultimo. Distinguitur etiam minor; contritio convertit hominem ad Deum finem ultimum, subjiciendo Deo offenso personam finitam, concedo; subjiciendo ei personam infinitam, nego: unde non reddit quantum abstulit, quia abstulit a persona infinita jus suum; reddit vero humiliationem personæ finitæ, quæ semper est debita Deo, etiamsi homo non peccasset: et sic recompensatio offensæ manet insoluta. Et ad replicam, quod offert aliquid quod non debebat nisi peccasset, scilicet, dolorem et contritionem de peccato respondetur, quod etsi non deberet Deo contritionem, si non peccasset, tamen reddere tenebatur id, unde contritio habet valorem (scilicet affectum charitatis et subjectionem ad Deum, ut ad finem ultimum) hoc enim ante peccatum tenebatur reddere Deo; addit vero post peccatum dolorem et tristitiam de illo, sed dolor iste non reddit honorem Deo offenso, quia dolet; sed quia summe amat, et pro fine ultimo habet Deum; hoc autem tenebatur facere, etiamsi non peccasset: totus ergo valor satisfactionis ex alias debitis desumitur: ergo non est perfecta satisfactio, quia non